Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 593
Quelle:
Copyright:

Fragmentum. Ad Libri II. initium nihil aliud, nisi rursus in margine: *Sermo de penitentia.* Nulla divisio in Capita. Extrema: *mundi istius nexu debemus absolvere.*

XVII. *fol.* 163. absque titulo a prima manu, sed in margine notatus: *sermo de sacramentis,* est *Ambrosii* I. de sex Libris, qui *de Sacramentis* inscribuntur. Initium: *De Sacramentis que accepistis sermonem adorior* &c. Legitur edit. *cit.* T. II. *col.* 349. cum V. Subsequis, qui absunt a Codice.

XVIII. *fol.* 165. p. 2. Sermo *'ανεπιγραφος*, in quo *Decem Dei Praecepta* cum *Decem Aegypti Plagis* conferuntur. Editores *Mauriani* hujus argumenti Sermonem, seu *Fragmentum Sermonis inter Eugipii excerpta et in Mss. Regio et Victorino repertum* in *Classe* I. n. 8. T. V. *col.* 41. publicarunt. Ut edicam libere, Exordium, quod ibi legitur, nullatenus cum reliquo orationis corpore cohaerere mihi videtur. Idem edicent, qui paullo adtentius illud pensitaverint, eoque promtius, ubi cum illo contenderint, quod nostro e *Cod.* hic adscribo. *Non est sine causa, Fratres dilectissimi! quod preceptorum legis dei numerus cum numero plagarum, quibus Aegyptus percutitur, exaequari videtur. Nam sicut decem praecepta sunt, quibus ad cultum dei populus admonetur, ita decem plagae leguntur, quibus superbia Aegyptiorum affligitur. Consideremus ergo cur et ibi decem praecepta, et hic decem plagae memorentur. Ideo sine dubio, quia in illis erant vulnera, in istis medicamenta. Et opus erat, ut periculosis plagarum decem vulneribus decem praeceptorum medicamenta subvenirent.* Atque deinceps Codex cum Editis: *Primum est preceptum in lege de uno deo. Non erunt inquit tibi dii alieni preter me. Prima plaga egyptiorum aqua conuersa in sanguinem. Compara primum preceptum prime plage* &c. In sequentibus multa omittit *Codex*, quae habentur in Editis, dum tandem in *Praecepto decimo* his verbis deficiat: *Nemo enim operatur, nisi fides praecesserit* — — foliis subsequis deperditis. Ut facile dem, Corpus ipsum Sermonis a quodam in compendium redactum fuisse, ita aegre deducar a sententia, genuinum ei Exordium ex hoc *Cod.* restitui posse.

Fuit is olim *Monastery Sancti floriani Patauien. Dyoc.* id est Canonicor. Reg. in super. Austria, ut non uno loco testatur.

CXCIV.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 346. perquam eleganter scriptus, et nitidissime pictus et deauratus Florentiae pro *Mathia Corvino* R. Hungariae, cujus Insignia et Symbola in Frontis marginibus supersunt, licet Scutum ejus primarium inferne deletum et aliud superinductum sit *Johannis Marchionis Bergensis, Comitisque de Walbain* a Maximiliano I. in splendidissimum Equi- 44